

VETUS ITALIA IN ITALIA NOVA

Lucilii iter Siculum cum exponerem, equidem nolui nec fabellam nec Milesiam narrare, sed versibus libri III diligenter enarratis cursum navigii Lucilianii dominique fata quam potui certissima ratione definire. Itaque tabula commentarii p. 51 adiecta poetae iter maritimum his descripsi mansionibus:

Puteoli (123) — flumen Silari portusque Alburnus (126) — Palinurum (127) — Liparae (104. 144) — Mylae (commentarii p. 49).

Puteolos autem poeta Roma petierat via terrestri: eodem modo, postquam in Sicilia appulerat, insulae oppida et tempa viserat inde a Mylis usque ad fretum equitando: qua de re testimonium tamen non exstat. At ego in commentario scribendo oblitus eram me adolescentulum legisse iter Siculum pictoris Philippi Hackert, cuius ephemeridas a comite eius Ricardo Payne Knight conscriptas edidit Goethe poëta clarissimus editionis Hempelianaæ vol. XXXII p. 55 seqq. Pictor, sicuti vetus poeta, Roma profectus terrestri itinere petiit portum Campaniae, sed Neapolim ille petiit, non Puteolos: neque portum Alburnum tunc potuit intrare arenis obrutum sed eum, qui vicinus est portus qui hodie nominatur Agropoli. Itaque iter pictoris anno 1777 factum has habuerat mansiones:

Neapolis (p. 55) — Silari flumen portusque Agropoli (p. 55. 56) — Porto Palinuro (p. 59) — Lipari (p. 61) — Milazzo, id est Mylae veterum (p. 64).

Quo ubi appulerunt, via terrestri Panormum petebant (p. 64). Utrum Lucilius poëta Lipararum portus intrarit, an insulas earumque miracula Vulcani tantum modo praetervehundo e navi spectaverit, hoc parum constare dixi in commentaris (ad v. 102 p. 48 extr. 49 med. ad v. 144 p. 69 extr.): adiit tamen unam insulam quam Lipari nominat Philippus pictor. Sed in navium cursu maritimo mirum in

modum congruunt itinera anni 1777 et temporis Lucilii, ita ut intellegas, dum velo et remis res geritur nautica, nullam navigii fieri mutationem potuisse in illa parte maris Tyrreni. Licet enim litora passim erodantur fluctibus aut limo fluviorum intumescent: terra manet eadem, eadem Tethys, fluctus et venti sunt immutabiles et Tempestates deae aeternae per saecula saeculorum. Neque Lucilii qua vectus erat navis absona a navi pictoris. Illam velis agitatam fuisse consentaneum est, remi memorantur v. 125. 127: haec, qualis fuerit indicatur nomine Felucke quales exornatae erant velo quod dicitur Latinum et teste scriptore remigio XII hominum (p. 55); Liparis denique Mylas velo traicitur: nam de hac parte itineris scribit p. 64 'wir ... segelten kurz nach Mitternacht ab'. Qua disputatione demonstratur, hac ratione veterum scriptorum reliquis lucem posse afferrri recentiorum temporum comparatione: quam doctrinam in primis olim sustinebat Henricus Nissen noster, vir egregius. Itaque dubito an iure ac recte ita ut feci iter Lucilii Siculum l. s. s. enarraverim.

At fluctus et venti cum maneant eidem, de hominibus vix idem erit statuendum; certe similem tamen posterioris aevi plebem Romanam antiquis illis fuisse Lucilii aequalibus sunt quae persuadeant. Veluti in commentario libri I ad v. 37 p. 20 exposuimus, poetam finxisse Lupum malum iudicem ita obiisse, ut tempestate nocturna et fulminibus eadem hora qua ille obiit di prodigi in modum et ostenti Quirites teruerint. At si revera Roma est aeterna, firmiter videlicet haec religio videtur mansisse in animis populi Romani. Traditum enim in Gestis Pontificum Romanorum (Mon. Germ. Hist. Berol. 1898) ed. Mommseni p. 191, 1: 'Post cuius (i. e. Adeodati Pontificis Maximi) transitum tantae pluviae et tonitrua fuerunt, quales nulla aetas hominum memoratur, ut etiam homines et peculia de fulgure interirent. Et nisi per letanias, quas cotidie fiebant, dominus est propitiatus, ut potuissent homines triturare vel in horreis frumenta recondere, in tantum, ut ex ipsas pluvias denuo legumina renascerentur, et ad maturitatem devenerunt, pro quo capitulo etiam homines mirarentur': inde sumpsit Paulus Historiae Langobardorum libri V caput XV.

Idem accedit post novem saecula cum Sextus V. P. M. obiit anno 1590. Qua de re qui vitam papae scripsit J. A. de Huebner Sixt-Quint Paris 1870 II p. 369: 'Pendant qu'un

violent orage enveloppait Rome d'éclairs et de ténèbres Sixte-Quint rendit son âme à Dieu': copiosius rettulit Ranke in Historia Pontificum libro VI cap. III extr.: 'Es entlud sich gerade ein Ungewitter über dem Quirinal, als er verschied. Die alberne Menge überredete sich, Fra Felice habe einen Pakt mit dem Bösen gehabt, durch dessen Hilfe er von Stufe zu Stufe gestiegen; nach abgelaufener Zeit sei nun seine Seele in dem Unwetter hinweggeführt worden. So versinnbildeten sie ihr Missvergnügen über so viele neu eingeführte Auflagen und den Zweifel an seiner vollkommenen Rechtgläubigkeit, der in den letzten Zeiten so oft rege geworden.' Lucilius autem poeta hac opinione versibus maledicis publice proposita malum iudicem et adversarium suum ultus est, si vera sunt, quae l. s. s. p. 20 olim exposui.

Bonnae.

Fridericus Marx.